

Furs de 1283

VERSIÓ DE TREBALL A DIA 12-6-2016
i per tant susceptible de modificacions, de la transcripció
dels «Furs» promulgats a l'anomenat «Privilegium Magnum»

Aquest document forma part del projecte general:

FURS DE VALÈNCIA (1238-1645)
Transcripció, traducció i estudi de tots els furs promulgats
per les Corts Valencianes al llarg de l'època foral

GENERALITAT VALENCIANA
CONSELLERIA DE TRANSPARÈNCIA, RESPONSABILITAT SOCIAL,
PARTICIPACIÓ I COOPERACIÓ
(Direcció General de Responsabilitat Social i Foment de l'Autogovern)

UNIVERSITAT JAUME I
FACULTAT DE CIÈNCIES JURÍDIQUES I ECONÒMICHES
(Àrea d'Història del Dret)

VALÈNCIA - CASTELLÓ
2016

1283, desembre 1. València

Pere I de València promulga el “Privilegium Magnum”, per confirmar el dret preexistent de la ciutat i regne de València i establir noves institucions, en especial per al govern de la ciutat de València.

Aquest privilegi no es va atorgar al voltant de cap assemblea de Corts Valencianes, sinó que va ser un acte unilateral del rei en plena crisi amb els aragonesos, que volien implantar el seu dret en terres valencianes.

A diferència dels quatre darrers (falsos) furs de Jaume I, les Corts de 1329-30 no van incorporar aquest privilegi al cos dels Furs, però si que es va fer en una època indeterminada, tal volta a meitat-finals del segle XIV, tot i que no es pot afirmar d'una manera rotunda.

L'articulat d'aquest privilegi va servir per reforçar el dret municipal de les ciutats i viles de patrimoni reial. Escrit originàriament en llatí, mai no es va traduir al valencià. Fa uns quinze anys es va fer una primera traducció en llengua castellana.

In Dei nomine.

Noverint universi, quod cum nos P[etrus] Dei gratia Aragonum et Sicilie rex invenerimus in Civitate et regno Valentie, plura male tractata et in ordinata, ex quibus cives et habitatores eiusdem Civitatis et locorum Regni se dicebant gravari, et per ipsos nobis fuerit humiliiter suplicatum ut super eisdem, et super quibusdam etiam ex foris Valentie dirigendis dignaremur ad reformationem boni status dicte Civitatis et Regni iuxta nostrum beneplacitum providere; idcirco eorum supplicationibus benignius annuentes, considerantes quod decet regem esse munificum in gratiis et beneficiis suis fidelibus conferendis, volentesque illustrissimi domini Jacobi inclite recordationis regis Aragonum patris nostri aliorumque predecessorum nostrorum vestigiis inherere:

[1563]

[1] Per nos et successores nostros, gratis et ex certa sciencia ac spontanea voluntate, laudamus, concedimus, et confirmamus vobis, probis hominibus et universitatibus Civitatis et Regni Valentie tam presentibus quam futuris in perpetuum, omnes foros civitatis Valentie concessos eidem Civitati et toto Regno Valentie, et omnia et singula privilegia eisdem Civitati et Regno concessa per dictum dominum patrem nostrum, et bonos usus et consuetudines bonas ex quibus usi fueritis ac consueveritis temporibus dicti domini patris nostri. Volentes et concedentes quod dictis foris Valentie, usibus et bonis consuetudinibus et privilegiis libere uti possitis et sine impedimento alicuius, non obstantibus aliquibus privilegiis seu ordinationibus factis in contrarium fororum Valentie sive privilegiorum predictorum, nec obstante

ratione aliqua que possit in contrarium allegari, nec obstante sententia aliqua lata contra forum Valentie, vel contra privilegia supradicta.

[1564]

[2] Et specialiter concedimus et confirmamus Justiciatum, Almutaçaffiam et forum decem dierum. Renunciantes et annullantes expresse esmendam fori novi tempore nostri regiminis factam, super inquisitionibus faciendis que incipit: <<Fororum interpretationem>>; ita quod deinde inquisitio fieri non possit per Curiam, exceptis casibus enim contentis in foro Valentie; nec nos etiam inquisitiones facere possimus, nisi forte super officiales nostros eas facere haberemus.

[1565]

[3] Confirmamus etiam privilegium electionis quatuor juratorum, volentes et in perpetuum firmiter statuentes quod ubi forus Valentie non sufficiat ipsi quatuor jurati possint facere novos cotos et certa statuta. Et factis per eos possint removere inde illud quod eis videbitur expedire; ita tamen quod semper fiant de consilio bonum hominum de manu maiori mediocri et minori.

[1566]

[4] Item laudamus concedimus et confirmamus ac etiam damus de presenti quibuscumque, et singulis civibus et populatoribus civitatis Valentie et Regni eiusdem, omnes domos et vineas, ortos et campos, censualia, alcharias et castra, turres et posesiones cultas et incultas que habent vel habebunt, tenent vel possident aut possidebunt, quecumque sint et in quocumque loco Civitatis vel Regni existant ex quacumque causa vel ratione, ea habeant aut possideant vel habebunt aut possidebunt cum titulo et absque titulo, cum cartis et absque cartis, et facimus cessare omnes demandas et petitiones quas civiliter aut criminaliter posueramus aut poni feceramus contra aliquos. Ita quod nunc vel aliquo tempore illas demandas vel alias pro nobis non possimus tornare; nec in aliquibus bonis aut hereditamentis aliquorum civium vel habitatorum civitatis Valentie et Regni, que per francum et liberum alodium possidebuntur, non possimus aliquid demandare, nec aliquis pro nobis aliquo casu vel aliqua ratione. Renunciantes omni iuri contra hec venienti, et removendo ac revocando omnem exceptionem ac occasionem contra hec venientes.

[1567]

[5] Item revocamus et annullamus omnes gabellas in generali et speciali que quondam per nos vel officiales nostros fuissent facte seu consuete in civitate Valentie nec in Regno aliquo modo, et quod nunquam gabelle aliquarum rerum vel averiorum aliqua ratione fieri possint, nec aliud nomen eis possit imponi quod et dampnum Civitatis vel Regni in aliquo redundarent.

[1568]

[6] Item concedimus quod pro saumata bladi et vini, quod aportabitur per terram non solvantur nisi tres denarii ut in foro Valentie continetur. Nec illi tres denarii solvantur nisi in loco ubi dicta saumata vini vel bladi vendetur.

[1569]

[7] Item statuimus et perpetuo ordinamus ne aliquis advocatus seu <>rahonador>> nec aliis pro eo, in Civitate vel Regno possit decreta vel decretales aut leges alias allegare aliquo modo, sub pena decem marcharum argenti, de quibus nos habeamus medietatem et comunitas Civitatis Valentie aliam medietatem, set solummodo habeant foros Valentie allegare, in omnibus causis civilibus et criminalibus. Volentes tamen quod si forus Valentie non sufficeret quod sit consilio et cognitioni proborum hominum Civitatis et locorum Regni. Et si solvere non posset penam supradictam sit electus a suo officio et privatus; ita quod nunquam possit advocare ibidem, et ad hec per Justiciam et juratos compellantur, et si per aliquem fuerit allegatum, quod Justicia illud non recipiat, quod si fecerit penam similem solvere teneatur.

[1570]

[8] Item statuimus et ordinamus quod per juratos et probos homines civitatis Valentie, sex probi homines sint electi uniuscuiusque parrochie, qui quolibet anno in festo Pentecostes jurent in posse Justicie dominationem et fidelitatem nostram fideliter observare, ad nostrum et communis Valentie comodum atque bonum.

[1571]

[9] Item statuimus et ordinamus ne aliquis advocatus de seccano aut procurator possit tenere nec uti tutela vel cura in Curia. Nec possint dari in extimationis super venditiones quas Curia faciat. Nec possint advocare nec procurare in Curia nisi tamen unam causam, donec per sententiam fuerit terminata, quod si fecerit solvat pro pena centum solidos; de qua pena habeamus nos medietatem et comunitas Valentie aliam medietatem. Et si ipsam penam solvere non posset suo officio omni tempore sit privatus.

[1572]

[10] Item statuimus et ordinamus quod cultellarii et baynarii Civitatis et Regni Valentie faciant cultellos et vaginas quoscumque et quascumque voluerint, et quod possint vendere ipsos quibuscumque voluerint.

[1573]

[11] Item statuimus et ordinamus ac concedimus, quod çabaterii omnes tam presentes quam futuri qui novo opere çabaterie operari voluerint intus civitatem Valencie vel extra, non teneantur solvere morabatinum nobis, set libere possint uti et operari eorum ministerio seu officio supradicto intus Civitatem vel extra Civitatem, in

quocumque loco extra çabateriam, salvo tamen nobis censu et iure quod accipimus et debemus accipere annuatim in operatoriis cararie maioris çabaterie Civitatis Valentie, et in aliis çabateriis locorum Regni.

[1574]

[12] Item statuimus et ordinamus quod si aliquis officialis vel alia persona faciebat vel utebatur in aliquo contra forum Valentie aliqua ratione, vel contra privilegia Civitatis et Regni, quod ille forus vel privilegium non minus valerit, immo remaneret in sua firmitate robore et valore.

[1575]

[13] Item statuimus et ordinamus quod quicumque homo privatus vel extraneus qui impetrabit cartam vel privilegium a nobis vel filiis nostris de quibus fiat aliqua gabella in Civitate nec Regno, quod amittat capud, ita quod scindatur ei ex toto, et quod moriatur cum hoc probatum fuerit legitime contra illum, et quod gabella illa penitus sit desfacta.

[1576]

[14] Item statuimus et ordinamus quod quilibet libere possit emere et vendere omnia bona et res ac merces quecumque sint et in quocumque loco Civitatis et Regni, que non prohibeant per privilegium sive forum.

[1577]

[15] Item statuimus et ordinamus quod notarii qui exigent vel recipient aliqua vel aliquam quantitatem pro testamentis vel cartis nuptialibus aut aliquibus contractibus quarumcunque rerum, ultra quam continetur in foro Valentie, quod privetur officio suo et ehiciatur per medium annum. Nec quod scriptori qui aliquod testamentum scribet, testator possit ei aliquam quantitatem peccunie dare vel legare in ipso testamento.

[1578]

[16] Item statuimus et ordinamus quod in aliquo loco, villa aut castro vel alcheria, captivi qui fugam arripuerint ab hominibus Civitatis vel Regni de quibus erunt, non possint salvari vel deffendi a servitute eorum vel captivitate per francos nec etiam absolutos, et quod non obstante privilegio concesso vel concedendo in loco ubi ipsi captivi essent recollecti, domini illorum captivorum possint recuperare ipsos captivos libere et habere; nisi forte ipsi captivi pernoctaverint in locis sarracenorum guerre, et hoc esset legitime manifestum.

[1579]

[17] Item statuimus et ordinamus quod notarii et scriptores qui scribunt alias causas pro aliquibus judicibus ordinariis vel etiam per judices nostros vel procuratores

aut alios judices vel per judices delegatos, non accipiant nec possint accipere de actis vel scripturis aliquibus aut sententiis, ultra illam quantitatem vel salario quod consuetum est recipi per scriptores curie Valentie.

[1580]

[18] Item absolvimus et diffinimus per nos et nostros ac etiam remitimus de speciali gracia, omnes petitiones et actiones civiles et criminales, quas facere possemus usque in hodiernum diem ratione barrigiorum vel fraccionum morarie Valentie, et aliarum moriarum aliorum locorum Regni, vel per dirrutionem domorum, vel qualibet unione vel clocha populi, vel alio modo quo erratum esset contra forum vel ratione scripturarum seu tractamenti capitulorum que nos duxerimus concedenda, aut ratione sacramentorum factorum per aliquos super foris Aragone, usque in hunc presentem diem, dum modo deinde non perseverent in eisdem.

[1581]

[19] Item volumus quod per sententias vel condemptaciones que facte fuerint vel illate contra aliquos pro aliquibus ex dictis causis, aliqua pena infamie non sit nec ponni possit contra aliquem, non obstante foro Valentie.

[1582]

[20] Item concedimus, quod supercequarius de suo officio in perpetuum sit electus, et unusquisque ex cequiariis utatur et uti possint secundum quod erat antiquitus consuetum.

[1583]

[21] Item concedimus quod quilibet in toto Regno possit facere in hereditate et loco suo libere almaceras olei et habere molendina olei olivarum aut molendina seu almaceras ad opus sui et aliorum, et quod laborator possit molere partem suam in molendino seu almacera domini hereditatis vel cuius ipse voluerit.

[1584]

[22] Item quod quilibet possit molere bladum, olivas, alquenam, linos, arrocium et omnia alia ubicumque voluerit.

[1585]

[23] Item quod quilibet homo cuiuscumque legis vel cuiuscumque loci existat, privatus vel extraneus, possit hospitari et habitare cum rebus suis et averiis, in quocumque loco voluerit, intus Civitatem vel extra.

[1586]

[24] Item statuimus et ordinamus quod aliquis tenere non possit tabulam cambii vel operatorium argenterie, donec in posse Curie assecuraverit idonee quod

totum illud quod receperit vel sibi fuerit comendatum vel pro altero dicet aliqua ratione illi cuius erit satisfaciat ac esmendet.

[1587]

[25] Item statuimus et ordinamus quod habitatores Civitatis et locorum Regni Valentie, habentes hereditates per aliqua loca Regni, non teneantur tenere hospicium nec habitare vel facere residentiam personalem in aliquo castro villa turri aut qualibet alia fortitudine, nisi in illis locis ubi ipsi voluerint, non obstantibus aliquibus conditionibus seu modis contentis in instrumentis <<Dels accaptes>>.

[1588]

[26] Item statuimus et ordinamus in perpetuum, quod in Civitate et in unoquoque locorum Regni Valentie, quolibet anno tertia die ante festum Natalis Domini sit creatam Justicia et electus, et jurati in festo Pentechostes, et mostaçafus in festo sancti Michaelis, in forma que sequitur, videlicet quod jurati cum quatuor probis hominibus de unaquaque parochia eligant unum probum hominem et nominent pro Justicia, et ita erunt in Valentie duodecim in justicie nominati, et nomina illorum sint ponita et abscondita in duodecim <<redolins de cera>>, et unus infans qui non stererit electioni predicte accipiat tres ex predictis duodecim <<redolins>> quos ipse voluerit, et illi tres sint nobis vel tenenti locum nostrum traditi et presentati, et incontinenti sine aliquo elongamento nos vel baiulus nostri, apertis redolinis predictis et visis nominibus eorundem, accipiamus et eligamus unum ex predictis tribus, qui sit Justicia per unum annum tantum modo proximo tunc subsequentem, qui faciant sacramentum in foro Valentie contentum. Verumtamen si homo sufficiens pro Justicia non inveniretur in altera ex parochiis supradictis ponatur ibi de altera parochia, ubi plures inveniantur.

Et jurati ac mostaçafus sub ista forma similiter elegantur.

[1589]

[27] Item statuimus et ordinamus quod non obstante pena sexaginta solidorum quod nullus posset decimare vel primiciare absque delmario nostro, et episcopi Valentie possit delmare expletum suum absque delmario et primiciario per Civitatem et Regnum, et quod bladum sit delmatum ac primiciatum absque aliqua pena secundum quod erat consuetum tempore domini Regis patris nostri.

[1590]

[28] Item statuimus et ordinamus quod si aliquis fuerit condemnatus sub pena quarti, et non habebit mobilia unde solvat, et debitor ante terminum vel <<reeclam>> assignabit bona sua sedencia que ipse voluerit, que sufficient ad faciendam solutionem de dicto debito, quod in tali casu debitor non teneatur solvere quartum.

[1591]

[29] Item statuimus et ordinamus per Civitatem et Regnum, quod sarraceni regni Valentie tam nostri quam alii possint vendere quibuscumque voluerint res et alias merces suas, et emere etiam a quibuscumque voluerint, et christiani et judei emere possint ab ipsis et eis vendere res suas.

[1592]

[30] Item statuimus et ordinamus quod quilibet tabernarius possit vendere vinum in domo sua propria, et qui domum propriam non habebit possit vendere in loco uno quo voluerit, et etiam possint vendere vinum in quocumque loco ipsum habebunt.

[1593]

[31] Item statuimus et ordinamus quod textores flaciatarum possint eas facere de quacumque voluerint latitudine, dum modo pecten habeat duas alnas in amplitudine, et flaciare habeant tres alnas et medium in longitudine vel plus quantum voluerint.

[1594]

[32] Item ordinamus quod quilibet possit facere fustaneos secundum quod fiunt in Barchinone legaliter atque bene.

[1595]

[33] Item statuimus et ordinamus quod mensure salis sint omnes rotunde et de eadem amplitudine tam in capite quam in solo, et quicumque voluerit de sale cum barcella, quod cum barcella mensuretur eidem. Et venditores ipsius salis vendant ipsum bonum et pulcrum ac recipiens absque <> sub pena sexaginta solidorum. Quam penam Justicia exigat et habeat loco nostri.

[1596]

[34] Item quod aliquis homo Civitatis nec Regni nec etiam extraneus, non teneatur solvere in tabula pensi salaryum nec servitium ponderatori, nec aliis officialibus dicte tabule ratione albaranorum nisi quantum teneatur solvere iuxta forum quod acipiatur pro lezda ab illis qui lezdam solvere teneantur. Et ab officiali dicte tabule qui contrafecerit, extorquantur per Justiciam loco nostri viginti solidi pro pena quociens fecerit contra predicta.

[1597]

[35] Item statuimus et ordinamus quod brunaterii possint facere omnes pannos de tota natura et de tota lana et de omnibus coloribus, bene et legaliter, de sisa et de penso Ilerde, et de Vallibus, et de Montesono, et facere etiam pannos de tota natura de França et de Narbona, dum modo pellum de boch sive stopam non ponant in eis, et quod ipsi et alii possint facere tintam de omnibus coloribus ad [128r] opus sui et aliorum ubicumque voluerint, exceptis indi et grana.

[1598]

[36] Item statuimus et ordinamus quod instrumentum censualium nostrorum et instrumentum venditionum sarracenorum captivorum qui vendentur possint confici per quoslibet notarios Civitatis et loci.

[1599]

[37] Item statuimus et ordinamus quod homines villarum Regni non teneantur dare cenam alicui procuratori, nisi tantum nobis et successoribus nostris.

[1600]

[38] Item statuimus et ordinamus quod carnicerii non possint pascere vel possint pasturare bestiarum eorum in vineis, vel in terris cultis, absque voluntate dominorum ipsorum, alio modo nisi quam continuatur in foro Valentie.

[1601]

[39] Item statuimus et ordinamus quod a portu gradus Valentie removeatur estaca que ibi ponita erat ratione lezde, et pena tollatur que imposta erat contra transeuntes dictam estacam donec scrutati erant, et deinde exigatur lezda legaliter et solvatur.

[1602]

[40] Item tollatur pena imposta contra barcharios sive nautas aportantes sal de aliis partibus pro expensis eorum, dum tamen in fraudem salis nostri Valentie sal non aportent causa vendendi.

[1603]

[41] Item statuimus et ordinamus quod lezde nostre et cuiuslibet loci nostri leventur et solvantur legaliter in maria in quibus debebunt solvi et in locis consuetis antiquitus, et secundum quod antiquitus erat fieri consuetum, et non in aliis partibus sive locis.

[1604]

[42] Item statuimus et ordinamus quod quicumque armaverit cum lignis suis vel barcis quod in eundo vel veniendo de hiis que se habebunt cum nostris officialibus expedire, se expediant cum baiulo nostro Valentie vel tenente locum eius, et non cum alio.

[1605]

[43] Item ordinamus quod per manus justicie et proborum hominum Valentie sit in gradu Valentie annuatim Justicia procreatus.

[1606]

[44] Item statuimus et ordinamus, quod quilibet homo Civitatis et Regni possit mittere sarracenos laboratores ad laborandum in hereditatibus suis, ad certum tempus vel in perpetuum, et quod ipsi sarraceni vel qui iam habitant in eisdem non teneantur dare domini Regi nec alicui alii illos duodecim vel viginti solidos nec alia que erant de novo imponita que solvebantur nobis, et quod franchi sint a quantitatibus supradictis et rebus, et quod sarraceni laboratores teneantur solvere domino hereditatis quicquid conventum fuerit inter eos, et quod bisancios sarracenorum habeant et recipient ab ipsis dominis hereditatis prout continentur in foro, et quod sarraceni non forciantur accipere sal, nisi secundum quod emere voluerint per minutum.

[1607]

[45] Item statuimus et ordinamus quod illud decimum quod petebatur noviter a captivis sarracenis qui se redimebant a dominis eorundem sit penitus absolutum, et quod non teneantur solvere nobis decimum supradictum, cum tempore domini patris nostri non fuerit consuetum.

[1608]

[46] Item statuimus et ordinamus quod generaliter cuilibet homini Civitatis et Regni cuiuscumque conditionis aut modi existat sive sit dives aut pauper, sint salve vestes sue et alia que per forum Valentie excusabantur pignorari per Curiam hominibus honoratis.

[1609]

[47] Item statuimus et ordinamus quod omnes <<avers>> qui debeant garbelari, videlicet grana, indi, piper, zinziber, gala, alum, mastech, ençenz, et lacha, et alii <<avers>> de partibus oceanii que faciant garbelari garbelentur de cetero, ne fraus vel encamaramentum possit fieri in eisdem.

[1610]

[48] Item statuimus et ordinamus quod clavis almudini Valentie per Justiciam uni vel duobus probis hominibus comendetur, ut mercatores aportantes bladum in almudino predicto sub spe legali, dimitere possint illud.

[1611]

[49] Item statuimus et ordinamus quod quilibet portare possit cultellum de uno palmo et medio, et bannum cultelli maioris ipsius mide tornetur ad quinque solidos et bannum cimboli ad alios quinque solidos tornetur, et bannum cultelli euvaginati tornetur ad sexaginta solidos.

[1612]

[50] Item statuimus et ordinamus quod aliquis pellerius non sit ausus desfacere aliquam roppam infra decem dies postquam emerit eam et eam tenuerit publice extra

in <<pertxa>> sua per dictos decem dies, et hoc jurare in posse justicie anno quolibet teneatur. Et postquam dicta roppa steterit per decem dies in <<pertxa>> sua non possit per aliquem demandari nisi solveret premium quod constaret, et postquam cursor publice portasset eam per plateas non possit demandari pro furto. Et hoc intelligatur inter presentes cum absentibus posset preiuditium generari. Et aliquis ministralis non sit ausus vendere aliquam roppam veterem pro nova nisi in principio mercati illud diceret emptori, et si non diceret perdat eam.

[1613]

[51] Item statuimus et ordinamus quod privilegium aliquod impetratum contra privilegium datum seu concessum civitati, non habeat valorem nec in aliquo observetur.

[1614]

[52] Item statuimus et ordinamus quod prohibeat de cetero ne aliquis portans coronam recipiatur in procuratione nec in officio publico.

[1615]

[53] Item statuimus et ordinamus quod cursor non sit ausus recipere salarium nisi iuxta forum inter ambas partes. Nec sit ausus retinere nec facere emere roppam que sibi comendata fuerit ad vendendum, quod si fecerit suo officio omni tempore sit privatus.

[1616]

[54] Item statuimus et ordinamus quod aliquis usurarius publicus non recipiatur in aliqua procuratione in Curia nec in alio loco, ne anulletur peticio quam procurabit vel gentes super hoc possint in aliquo defraudari.

[1617]

[55] Item statuimus et ordinamus quod scale et altum et baxium que fiebant in civitate Valentie, removeantur in perpetuum. Ita quod non fiant in aliquibus contributionibus Civitatis; et cum civitas multum facere habebit illud fiat cum albaranis per richos homines et per medianos et minores, secundum quod unusquisque habebit ad cognitionem illorum de manu majori, mediocri, et minori.

[1618]

[56] Item statuimus et ordinamus quod quilibet possit emere escagios bladi seranorum et aliorum hominum que fient in almudino, et quod non sit gabella de agranaduris bladi quod versatur seu spargitur in almudino, et quod quilibet possit levare bladum suum de terra ubi vertetur.

[1619]

[57] Item statuimus et ordinamus quod aliquis baiulus non sit ausus nec possit ponere caloniam super gentes, cum crida vel sine crida.

[1620]

[58] Item statuimus et ordinamus quod vicinus vicino possit ponderare et recognoscere res suas a quibus lezda dari non debeat absque aliqua pena; et quod mercatores vicini Valentie non teneantur ire ad tabulam pensi pro dicendo vel nominando lezdas quas homines extranei dare debeant in tabula supradicta.

[1621]

[59] Item statuimus et ordinamus quod justicie possit dimettere et facere gratiam sive lexiam de caloniis secundum quod utebatur tempore domini regis patris nostri.

[1622]

[60] Item statuimus et ordinamus quod advocati qui per denarios advocabunt, semel in anno faciant sacramentum quod utantur bene et legaliter iuxta sanam et bonam conscientiam eorundem, in causis que tenebunt, et quod non accipient nec accipi faciant pro salario nisi quantum eis taxatum extitit per dictum dominum patrem nostrum cum privilegio suo, et quod veniant fovere causas quas dicent coram Curia, et qui contra hoc fecerit solvat penam in privilegio contentam.

Similiter ordinamus ne judices recipient salary ultra quam in eodem privilegio continetur.

[1623]

[61] Item statuimus et ordinamus quod aliquis minor viginti duobus annis non recipiatur in curritore, nec utatur officio curritorie, aut aliud officium publicum teneat in Civitate.

[1624]

[62] Item statuimus et ordinamus ad tollendum missiones scripturarum advocatorum et judicum, quod omnes cause ducantur per forum Valentie sub ista forma: quod petitio sit data et responsio facta eidem, et exceptiones recipientur, et non fiant alique ponitones nec articuli nec aliquis alias processus, et quilibet possit dare testes super petitione sua vel super exceptione sua, et quod nulla petitio possit dici in epta et quod quilibet se possit iuxta forum Valentie appellare.

[1625]

[63] Item statuimus et ordinamus sub pena centum morabatinorum, ne domini aliquorum molendinorum vel aliquis pro ipsis audeat mutuare nec dare per se vel alium alicui flacherie vel farinariis ad hoc ut molat in suis molendinis. Et si forte flaquerie acciperet vel faceret accipi mutuum servicium sive donum de aliquo domino molendinorum, a suo officio in perpetuum sit privata.

De dominis autem molendinorum draperiorum intelligatur scilicet quod non mutuent, nec donent alicui aliquid ut aportarent pannos in molendinis suis.

[1626]

[64] Item statuimus et ordinamus quod pro morabatini censuali solvantur tamen novem solidi regalium, et pro mazmodina censuali septem solidos eiusdem monete. Et tam de censualibus nostris quam aliarum personarum cuiuscumque conditionis aut modi existant, de Civitati et Regno, istud idem intelligatur deinde.

[1627]

[65] Item statuimus et ordinamus quod nullus judeus sit baiulus nec teneat baiuliam nec Curiam nec sit etiam collector reddituum in Valentie, nec in alio loco Regni, nec officium publicum teneat unde super christianum habeat jureditionem.

[1628]

[66] Item statuimus et ordinamus quod quicumque invenerit rem vel roppam suam que sit furata eidem vel fortiiata aut extracta de posse suo absque voluntate sua, et fuerit in posse alicuius judei vel alicuius alterius personae, quod domino suo restituatur libere absque precio et servitio, non obstante privilegio aliquo in contrarium concesso vel etiam concedendo.

[1629]

[67] Item statuimus et ordinamus quod observetur et confirmetur per Civitatem et Regnum esmenda fori Valentie, que facta fuit super facto sacramentalis maledictionum judeorum.

[1630]

[68] Item statuimus et ordinamus per Civitatem et Regnum quod judei usurarii jurent quolibet anno in posse justicie quod mutuent ad rationem quatuor denariorum pro libra in mense, iuxta cotum domini patris nostri et non ad amplius, et si contrafecerint perdant debitum et solvant pro pena decem marchas argenti. De qua pena nos habeamus tertiam partem, et tertiam comune, et tertiam accusator.

[1631]

[69] Item statuimus et ordinamus quod aliquis judeus non decollet carnes in carniceria christianorum infra menia Civitatis vel loci.

[1632]

[70] Item cum judei non sint in una fide seu credentia nobiscum, propter quod inter vestes christianorum et judeorum distinctio habitus debet esse, statuimus et ordinamus per Civitatem et loca Regni, quod quilibet judeus ultra etatem decem annorum portent capam rotundam indutam ad consuetudinem Barchinone, eundo per Civitatem vel villam, excepto eorum callo. Set si extra Civitatem vel villam iverint spatiatum portent eas in collo si voluerint, et si per caminum de uno loco ad alium accedere voluerint, tunc portent aliam vestem quamcumque voluerint. Et si quis judeus

contra hoc fecerit penam triginta solidorum pro nobis baiulo nostro solvat pro unaquaque vice.

[1633]

[71] Item propter dolum et multas fraudes quas judei faciunt ut dicitur christianis ratione cuiusdam privilegii quod habent quod credantur de eo quod se asseruerint mutuasse; statuimus et ordinamus quod aliquis judeus non credatur ultra V solidos in re sua propria, absque carta aut testibus christianis, non obstante eorum privilegio supradicto.

[1634]

[72] Item statuimus et ordinamus quod quando karissimus filius noster habeat regnare, infra unum mensem tunc primum venturum in civitate Valentie faciat personaliter Curiam celebrare, et juret tenere et observare et facere teneri et penitus observari foros Valentie, et privilegia bonos usus et bonas consuetudines Civitatis et regni Valentie, licet iam hoc juraverit in presentia nostra pariter atque vestra. Istud idem etiam successores nostri et sui facere et jurare penitus teneantur.

Has autem laudationes, concessiones, statuta, gratias et remissiones per nos et successores nostros in perpetuum facimus vobis civibus Valentie, supradictis et omnibus aliis hominibus locorum omnium regni Valentie, et vestris eorum successoribus in perpetuum qui foros Valentie volueritis acceptare, sicut melius dici et intelligi potest ad vestrum et vestrorum semper bonum et sincerum intellectum. Volentes quod omnes cives et habitatores Civitatis et Regni Valentie, qui ut dictum est foros Valentie voluerint acceptare, sint in predictis gratiis ac beneficiis et omnibus aliis et singulis supradictis participes et consortes, ac ea omnia per loca Regni Valentie sic observent et faciant observari. Non obstante si contra forum Valentie concessimus et ordinavimus aliqua ex predictis, cum ea ex certa scientia et de vestro assensu et ad vestri requisitionem duxerimus concedenda corrigenda ac etiam ordinanda, nec obstantibus aliquibus privilegiis impetratis in contrarium vel de cetero impetrandis.

Et ut predicta omnia maiori gaudeant firmitate juramus per Deum et eius sancta IIII euangelia a nobis corporaliter tacta, et crucem Domini, et per infantem Alfonsum karissimum primogenitum nostrum, illud idem jurari facimus de presenti, predicta omnia observare iuxta posse nostrum et non in aliquo contravenire.

Mandantes nichilominus universis officialibus nostris presentibus et futuris, quod predicta omnia et singula firma habeant et observent et faciant inviolabiliter observari, et non contraveniant nec aliquem contravenire permittant aliquo modo vel aliqua ratione.

Datum Valentie, kalendas decembris anno Domini M^o CC^o octuagesimo tercio.

Signum + Petri, Dei gratis Aragonum et Sicilie regis.

Signum + infantis Alfonsi, filius regis Aragonum primogeniti, et heredis.

Qui predicta omnia et singula iuramus per Deum et eius sancta IIIIor euvangelia
manibus nostris corporaliter tacta, et per crucem Domini tenere et observare ut
superius continetur, et non in aliquo contravenire.

Testes sunt: Guillermus vicecomes Castri Novi, Petrus Arnaldi de Botonac,
Jacobus Petri, Arnaldus de Corçavino, Blaschus Eximini de Ayerbe.

Sig+num Raymundi Escorna, dicti domini regis scriptoris, qui mandato eiusdem
hec scribi fecit, cum suprapponito in XXIX linea ubi dicitur <<nostris>> et in XLII ubi
dicitur <<extra>>, et in LVII ubi dicitur <<christianis>>, et clausit loco die et anno
prefixis.